



# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1859**

XIX. Bischöfliche Bestätigung eines Tausches, worin Graf Heinrich von Gardelegen den Zehnten in Mose dem Stifte Unser Lieben Frauen in Magdeburg für 2 Hufen in Sandow überläßt, ohne Jahr (c. 1190).

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55003](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55003)

de Gersleve, Conradus de Veltberc, Godescalcus de Redese, Cono, camerarius de Arneburgh, Wernherus de Gardeleue, Rothengerus et Wernherus.

Die vorstehende Urkunde, deren Original sich im Stifte Obernkirchen befindet, ist vom Herrn C. F. Mooyer in Minden mitgetheilt.

**XIX. Bischöfliche Bestätigung eines Tausches, worin Graf Heinrich von Gardelegen den Zehnten in Mose dem Stifte Unser Lieben Frauen in Magdeburg für 2 Hufen in Sandow überläßt, ohne Jahr (c. 1190).**

Vniuersitati fidelium tam presentium quam futurorum notum esse cupimus, quod nos ad contractum concambii inter nos et ecclesiam beate Marie in Magdeburg efficaciter operam adhibuimus, quod, qua ratione dati et accepti factum sit, subter annotata pagina euidenter explicabit. Versus aquilonem iuxta fluuium, qui Ora dicitur, villa quedam sita est vocabulo Mose, presate ecclesie pertinens cum omnibus suis vsibus et cum decima, et cum quodam adiacente predio, qui vulgo Badenacker dicitur. Cuius predii decima ad nos respectum habuit, quam etiam comes H. de Gardeleben inter reliqua beneficia a nobis in feodo tenuit. Igitur fratres predictae ecclesie eandem decimam ex multis concurrentibus causis sibi considerantes accommodam, ad hoc studium suum ceperunt intendere, quatinus eam siue aliorum reddituum commutatione seu alio quocunque iusto modo a nobis redimerent, et suis vtilitatibus manciparent, ne forte de extraneorum cum eis commercio disturbande eorum quietis et pacis occurreret occasio, et gratia huius partis vsusfructus eis solite immineretur integritatis. Verum quia res effectum habere non poterat preter eius consensum, quia eam in feodo tenebat, nos benigno assensu iusto eorum concurrere cupientes desiderio, ita tamen quod Halberstad. a nullo exinde lederetur dispendio, communicato fidelium nostrorum consilio tandem cum dicto Comite in hoc conuenimus, vt ipse decimam in manus nostras resignaret et quatuor mansos in villa Sandowe pro eius redemptione a sepe dictis fratribus Halberstadenfibus collatos in recompensatione feodi sui reciperet, sicque nec predictorum religiosorum voto nostrorum deesset amminiculum, nec cuiilibet parti aliquod ex nostra negligentia proueniret detrimentum. Vt autem id quod factum est, nulla ambiguitate titubaret in posterum, ad confirmandum id sigilli nostri adhibuimus testimonium, sub anathematis animaduersione prohibentes, ne id, quod iuste et rationabiliter statuimus, futuris temporibus cuiuslibet temeritatis eneruare presumat incurfus. Quin potius beate virginis ecclesia eius, quod iuste commutationis titulo adeptae est, libera et quieta possessione gaudeat et ob merita nostri nominis memoria in ea in benedictione perpetuo permaneat.

Ludewig Reliqu. II, 424.